



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii**

**Zurmöllen, Heinrich**

**Neuhusii, 1677**

Art. 1. De qualitatibus Praefectorum ac Magistratum

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9734**

competunt. Unde vocati ad bella convenire & Principibus assistere debent, interdū cum certo comitatu: Extra Provincias vero & Regna, absq; Regum & Principum voluntate, quandoque non possunt alienæ militiæ deservire. Denique fidelitatem servare tenentur in omnibus, quæ vel Regum & Principum Personas, vel etiam Regnum & Provincias concernunt, & hæc omnia non tantum in foro fori, sed etiam in foro conscientiæ & poli.

## TITVLVS QVARTVS.

### *De Magistratib9 ac Officiariis.*

#### Articulus Primus.

##### *De Qualitatibus Præfectorum ac Magistratum.*

I. **Q**ualitates præfectorum & eorum qui ad Magistratus assumuntur, paucis comprehendit Consilium Jethro Soceri Moyse: *Exod. 18. Provide autem (ait) de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis. Tribu-*

*nos:* In quibus verbis quatuor qualitates indicantur. 1. Requiritur virilis potentia, debent enim qui ad præfecturas assumuntur, viri esse firmi & prudentis iudicii, in quibus nil puerile, nil muliebre, nihil factuum, sed ab omni passione & phantastica imaginatione, liber intellectus sit. Debet etiam inesse virilis fortitudo, sive ad iudicia & decreta ferenda, sive ad eorum executionem. Insuper debet pollere scientia sufficienti & accommoda Regno, Provinciæ, Civitati cui præficitur.

2. Requiritur in illis timor Dei, ut sciant quicumque populis præficiuntur se agerem Dei, ideoque Deum præ oculis in Regimine habere debere, illiusque primaria intentio sit, quæ placita sunt Deo perficere: & ut Dei iudicia considerans, si non amore, timore saltem Dei, à malo avertatur.

3. Requiritur in præfectis, veritas: ut sciant discernere, & de facto discernant, verum à falso, id est ut fictionibus & mendaciis non illudantur, minus suis illudant, in ipsis enim qui præfunt, debet residere veritas

ritas in verbo, ut quidquid ex ore eorum procedit respectu subditorum, veritati legum innitatur. Deinde necessaria est veritas vitæ: ut nimirum sciant discernere bonum à malo: illorum enim est malitiam dissipare, & bonum opere & exemplo stabilire. Veritas denique justitiæ, individua Comes debet esse, omnium qui populo præficiuntur: ut nimirum discernant justum ab injusto, & sic unicuique quod suum est reddatur.

4. Requiritur in illis odium Avaritiæ: ut non tantum non sint avari, sed etiam avaritiam oderint: avaritia enim est principium omnis injustitiæ, iniquitatis, dissimulationis, licentiæ in Regimine, quia omnia pecuniæ obediunt. Et ubi aliquis præfectorum avaritiæ deditus est, seposito Dei timore & veritate atque justitia, in omnem ruit Licentiam, aut Pauperum oppressiorem. Senserant hanc pestem antiqui, qui à præfectura removendos judicabant inopes & avaros. Nec ab hoc Consilio aberrat Tyberius Cæsar: qui vix induci poterat ut præsides mutaret, pro ratione affe-

P s

rens,

rens, se hoc modo parcere velle plebeculae, indicans quod praefides ad Provinciam ad modicum tempus missi, emungerent acrius populum, etiam usque ad sanguinem, & tanto acrius dominarentur, quanto se breviori tempore dominaturos agnoscerent, solebatque adferre paradigma alicujus vulnerati, qui in via jacens muscas vulnus depascentes non abigebat: quod cum aliquis transiens vidisset, officium vulnerato praestitisse ratus est si muscas abegisset, sicut & abegit: ad quem vulneratus, male (inquit) fecisti quia muscae quas amovisti, jam sanguine pleni erant, & me parcius molestant, quae autem supervenient acerbius pungent, pari modo de mutatione praefectorum philosophandum est.

## Articulus Secundus.

### *De peccatis Praefectorum seu Magistrorum.*

I. **I**N peccata mortalia se praecipitant, qui Magistratus & praefecturas ambiunt, emunt, vel se ad illos promoveri curant, conscii de sua idoneitate: fit enim  
ut ob